

www.e-rara.ch

Polydori Vergilii Urbinatis de rerum inventoribus libri octo

Vergilius, Polydorus

Basileae, 1575

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-24>

Polydori Vergilii Urbinatis in dominicam precem commentariolum

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [\[Link\]](#)

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [\[Link\]](#)

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [\[Link\]](#)

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [\[Link\]](#)

POLYDORI VERGI-
LII VRBINATIS IN DOMI-
NICAM PRECEM COM-
mentariolum.



Christus Seruator noster apud Mat-
thæum, cap. 6. ait, Tu uerò quam oras,
intra in cubiculum tuū, & clauso ostio,
ora Patrem tuum. Hoc ille proponit,
quo constet Deum ubiq; locorum esse,
ut quis fide munitus in arcano oret, & id uacuo animo
faciat, quòd alibi per hominum strepitum, mentem, qua
omnis nostra actio regitur, colligere minus queat. Hinc
cognoscere licet, oportere nos ex animo precari, & pre-
cando non habere extrinsecus uiuendi rationem, quem-
admodum faciunt aliqui, qui ut templum ingressi sunt,
singulis diuorum imaginibus ad pedes iacent, laborant,
sudant, ut quò magis ab integritate alieni sunt, hoc pro-
piores religioni uideantur. In occulto proinde orandum
est, hoc est, in id negotij de animi sentètia incumbendū,
ubi Deus nobiscū est, teste Ioanne, qui epistola sua inquit?
Quisquis confessus fuerit, quòd IESVS est Filius Dei,
Deus in eo manet, et ipse in Deo. Non est ergo, quòd ali-
quò terrarum pergamus Dei querendi causa, qui ubiq;
nobiscum est: quod nonnulli minus sentiunt, quos uolu-
ptatis, non item pietatis gratia, adeo delectat peregrina-
tio, ut alij aliò percūrrant, quò alicuius diui imaginem
uisant, nihil interim mentem ad Deum erigentes, contra
colendi formā olim à patribus datam, quæ eiusmodi est:

N iij

Nam Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipsa:
Hanc uideas, sed mente colas quod cernis in ipsa.

Ast ne plura, quādo de imaginum cultu, antiè lib. De inuent. rerum 6. cap. 13. satis superq; dictum est. Ad propositum reuertor. Deinde subiicit, Orantes autem nolite multum loqui. Idem apud Ioannem, modum precandi docet, quum inquit, Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, spiritu ac ueritate oportet adorare. Si igitur spiritu colendus est Deus, non utiq; multis cum eodem uerbis agendum, nec, ut inquit Cyprianus, clamoribus admonendus, quia non uocis, sed cordis auditor est. Quamobrem fertur Athanasius episcopus Alexandrinus, olim instituisse apud suos Alexādrinos, ut sacerdotes sacros hymnos in templis recitantes potius more legentiū quā cānentiū, id officij præstarent: cuius forma chori bene cum præcepto Christi consentit, quæ utinam etiam nunc duraret, ut ne in templis per symphonicos cantores staret, cur minus uerba sacra exaudirentur, aut ne uideremur in re hac ueteres atq; adeo imitari, quādo apud Romanos, teste Liuius ab urbe condita, mos fuit, ut uel tibicines sacrificijs præcinerent. Postremò sic, ait, orate,

Pater noster) Appellant patrem Deum filij. ij sunt filij, qui baptizati sunt, qui credunt Christum esse Filiū Dei: secundum illud, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem, ut filij Dei fierent, qui credunt uenturum tandem aliquādo tempus, quum aut benefactorum premio, aut malefactorū poena afficientur. Et proinde decet, ut nos humanarum rerum obliui, ad mandata patris exequenda incumbamus, ut ne uideamur contra

trā atq; est in Euangelio, in terris querere patrem.

Qui es in cælis) In cælo eum esse dicimus, quem rebus omnibus longè beatissimū putamus: ita Deo principalem sedem eo loci damus, quòd ab eo salutem expectamus, qui sumus in terra, quæ scelerum omnium arca existit, ubi cuncta calamitatis & miseræ plena sunt. Quare Christus uolens nos conditionis nostræ à primo monitos, docuit, ut orando eò animum intenderemus unde summum manaret bonum. Modus item loquendi nō sine mysterio est: nam quū nō liceat cuiquam dicere, Pater mi, sed noster, et humilis æquè ut potens Deum uocet patrem, iam nos per id fatentes unum habere patrem, cogimur perinde ac fratres inter nos amare, uicissimq; iuuare, atq; contemptui habere neminem qui Christo credat, quò sic intelligamus nobis æquabiliter pro omnibus orandum. Pudeat cum igitur, qui alteri nocet, qui alienum et peregrinum odio persequitur, qui quòd diues, quòd nobilis sit, inopem fratrem ac minus clarum despicit, cōtemnit, conspuit, quòd contra suum ueniat testimonium, fratribus maleficium inferendo, ac inter eos cōcordiam disfungēdo. Vocamus in super Deum patrem, ut secundum illud primum diuinæ Legis præceptum, Vnum cole Deum: et quartum, Venerare parentes, ei omni tempore honorē habeamus, sicut filij debent obseruare patres. O improbos bene multos, qui immemores officij, tantum abest ut Deum uenerētur, ut etiam parum ira commoti, in eum maledicta impudenter nefarieq; conferant. Sanctificetur nomē tuū.) Longè equidē sanctissimum est nomē Dei, ac ob id nihil est quòd optemus per

nos sanctum fieri: sed quum Dei nomine, baptismatis a-
 qua à principio purgati simus, & inde duce natura, quæ
 infirma est, facile delictis turpemur, sancta purgatione
 quotidie indigemus, ac idcirco ut puri cõtinenter effici-
 mur, neesse habemus et inuocare et colere Dei nomen,
 ut sanctum fiat in nobis, ut ne illud cõtãrã quàm est secun-
 dum præceptum, Per Dei nomen haud frustra deiera-
 to, uituperemus, ad fraudesve dolôsve malitiosè adduca-
 mus, quod impij, quod scelesti, quod nefarij homines fa-
 ciunt. Quid, quod ita usu uenit, ut ne olitor quidem he-
 luellas, id est, herbas minutas, quæ in usu cibario sunt,
 prius soleat uendere, quàm semel atq; iterum Deum, e-
 iusve diuos testatus fuerit? Sanctum fit itaq; nomẽ Dei a-
 pud nos, quum illud à peccato uacui (quia nõ est speciosa
 laus in ore peccatoris) celebramus, obseruamus, in hono-
 re habemus: plus nempe nõ est, quod Deo præstare possi-
 mus, uel ille à nobis exigat. Translatio à filijs ducta, qui-
 bus quum secundum parentes nihil gratius, nihil iucun-
 dius, nihil amabilius sit, quàm quod illis honoris accessio
 fiat, quò eorum nomẽ perpetuetur, sitq; familiæ in æter-
 num ornamẽto: ita nos qui Christi Seruatoris beneficio
 meremur Deum nominare patrẽ, ut erga eum amorem
 habere testemur, cupimus eius nomẽ celebrari, et regnũ
 quamprimum uenire, ac malorum dæmonum potestatẽ,
 apud mortales olim permagnam similiter atq; pernicio-
 sam, sicut nos libro De rerum inuẽtoribus s. cap. 8. de-
 monstrauius, infringi, tolli, deleri. Vnde illud,

Adueniat regnũ tuum.) Duplex est regnũ, alte-
 rum mundi, cuius principes sunt mali dæmones, (testis
 est

est Christus apud Ioannem, Nunc princeps huius mundi eijciatur foras) in quo nos uersamur: alterum Dei. Idem Seruator, Quærite primum regnum Dei, vsq; eò igitur in regno mundi uersamur, dum nobis regnum Dei ueniat: uenit autè seu uenire incipit, quum in nobis uiuit et regnat Deus: quod fit, quum puri et sancti in spe summè boni fruendi acquiescimus. Vnde Apostolus ad Galatas, Viuo tamè, nò iam ego, sed uiuit in me Christus. Ad istuc nos regnum castè, piè, sanctè uiuendo nitimur: sic officij memores reddimur, ut nobis optimum finè optemus: sic longum tempus quum nò erimus, nos mouet, ut iamiam uelimus dissolui, & esse cum Christo, sicut Apostolus ad Philippenses scribit. Nimirum nò iniuria poscimus à Deo salutem, ad quam incumbimus, iter nostrum in cælum cõferentes: nam tum nobis regnum Dei uenit, quum rectè uiuimus, quum postremò perpetuam salutem consequimur, secundum illud diuinum oraculum, Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum uobis ab origine mundi. Quod illi minus faciunt, qui gaudent in regno mundi, loco tametsi scopuloso et difficili, diu esse, utpote qui in rebus tantum humanis ad uoluntatè fluëtibus acquiescunt, obliti futurum modis omnibus tempus, quum aliò è uita migrabunt. Sed dices, Haud se aliò migraturos rentur, ac idcirco nò est regnum aliud, ad quod sibi aspirandum putent. Certè uereor, ut ita sit: si enim aliter sentirent, tempus aliquando esse ducerent, se de illa perpetua, nò de hac exigua uita cogitare. Et in hac erroris nauis in primis uersantur, qui nullum temporis punctum à peccato uacuum præterire patiuntur, qui utinam ad

extremum respiscāt, ut uerè cum alijs precari queāt, regnum Dei uenire. Fiat uoluntas tua, sicut in cælo, & in terra.) Voluntas Dei eiusmodi est, ut nos eius mandata curemus, exequamur, conficiamus: & id rogamus, quò nobis qui in regno mundi sumus, & regnū Dei quærimus, perinde facere liceat, ut in cælo fit, ubi uoluntate Dei nihil nõ rectè geritur. Et quãuis ita uerba ponātur, ut uideamur cupere sic futurū esse, ut in manu Dei sit facere quod ei lubet, perinde quasi sit alter quispiam qui ei imperet, tamen contrà est: nam quum sit ille opifex rerum & mundi melioris origo, petimus, ut nostra uoluntas cum eius uoluntate cõiuncta sit. Hic posset quis non extra iocum argumentari de libera hominis uoluntate, quam arbitrium dicunt, quum petitur, ut regamur nutu Dei, & eius ope protegatur. Verum istuc minimè hoc agitur loco, & ideo rursus reuertor eòdem. Magna in nos accusatio, qui quum petimus, ut nobis liceat omnia ex uoluntate Dei facere, tacitè fatemur contra eam uenire: aliter enim frustra rogamus, Fiat uoluntas tua. Atque id præsidium petimus, quia naturalibus affectionibus ducti uelimus nolimus, otium magis quàm laborē, satietatem quàm esuriem, uoluptates quàm curas cupimus, amamus, amplectimur. Vnde usu uenit, ut nihil apud nos sit factu propè difficilius, quàm ut quis sua se uoluntate abdicet: quod fit, quum præcepta Dei obseruandi causa nos refrænamus libidines, spernimus uoluptates, auaritiã coërcemus, iracundiam temperamus, cæterasq; animi labes repellimus, sobriè, castè, continenter uiuendo. Atqui unus aliquis dicet, Quotusquisque inuenietur

uenietur tanta uirtute uir præditus, qui ista paruo negotio præstare potuerit? Proinde nos nostræ infirmitatis conscij, quorum uoluntates ut uehementes, sic crebrò uariæ, inconstantes, aduersariæ sunt, rogamus Deum, ut in hac uita, quæ, sicut Iob uerissimè ait, militia est, hoc est, plena sollicitudinis, ne nostris affectionibus acti erremus, peccemus, delinquamus, sed nostri actus propè tales sint in terra, quales sunt illorum quos beatos uocamus, quos in celo esse credimus. Atq; ita per hoc monemur in omnibus rebus agendis, implorare diuinum numen, quo munitis nobis, partim per malos demones, qui semper præstò sunt, ut noceât, partim per impotentiã carnis, quæ, teste Apostolo ad Galatas, cum spiritu semper cõsistat, liceat rectè sapere, uitamq; spiritualem degere, perinde quasi iam in celo essemus. Est item usus, ut dicamus, Fiat uoluntas tua, quum negotium aliquod, quod gerimus, Deo commendamus.

Panem nostrum quotidianũ da nobis hodie.) Nunc de alimẽto corporis agitur, quod ex anima & carne cõstat: cuius cibi genus triplex est, ac unũquodque à Deo petendum. Cibus animæ est uerbum Dei, de quo Christus apud Ioannẽ ait, Ego sum panis uiuus qui de celo descendi: Si quis ederit ex hoc pane, uiuet in æternum. Edimus autè panẽ Christi, quum credimus eum esse Filium Dei. Vnde illud, Qui credit in me, habet uitam æternam. Et hunc panem sacerdotes assiduè concionando, nobis suppeditare debent. At dices, Heus tu, quomodo sacerdotes tot pascere possunt, quum ipsorum longè maxima pars sit literarum minus sciens, et populi nume-

rus infinitus? Ad ista nos quoq; cōnuemus: sed qui tam inertes deligunt ministros, uiderint, quum maximè omnium aduigilare deberent, ut ne religionis causæ omni tempore indormire dicerentur. Alter cibus, id est, panis noster quotidianus, est eucharistia, quam nostri iam inde ab initio, teste Cypria, quotidie sumere consueuerant: & eum petimus cibum salutarem, quia cum per illum cum Christo cōiungamur, qui ait, Qui edit meam carnē, et bibit meum sanguinē, in me manet, & ego in illo: ut ne intercedente aliquo delicto, cælesti pane subito priuati, ab eodē, nostro merito, separemur: id quod accidit illis, quibus sacrificijs interdicitur, hoc est, qui excōmunicantur, ut uulgò dicitur. Mos itidem apud nostros à principio fuit, ut manē & ieiuni panem istum supersubstantialē essent, ut Hieron. in Mat. legit, licet Seruator uespere consecrauerit, ac discipulis iam cœnatis dederit, quòd Christus manē passus, manē resurrexerit, auctores Cypria. et Tertull. lib. ad uxorē 2. nam inde, teste D. Hieron. aduersus Iouinianū, omnium nostræ religionis mysteriorū initium manauit. At demum eiusmodi ambrosia, id est, cibo diuino quē uocant, Apostolus admonet, ut quisq; postq̄ se rectè probarit, inueneritque purum ac sanctum, feliciter uestatur. Proinde qui cogunt sacerdotes quotidie id facere, hinc intelligere possunt, se cōtra Apostoli consiliū, seruitutē illis imponere. Sanè haud scio quī fieri possit ut sacerdos homo, non Deus, & ut Propheta ait, mendax, queat omnibus horis purus esse, quemadmodum esse debet qui diuinā rem facit: ceterū faciūt quotidie permulti pure, piē, sanctē: at nō nemo nō itē, qui fortasse malū ma-

lo addit, ut sanctior habeatur, ut apud omnes in cælum feratur rumore uulgi, qui id longè certissimū esse innocētiæ indicium existimat. Tertius uerò cibus carnis est, de quo intelligit Apostolus ad Timoth. scribēs, Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Et hunc panem uocamus, quia omnis uictus in pane consistere ex eo censetur, quòd sine eo nullas ferè alias sumamus escas. O miseram uitæ humanæ cōditionē, quæ adeo nobis breuis incertaq; est, ut nō liceat cuiquam eam sibi diutius momēto horæ duraturā pro certo habere: quare cibum hodiernum tantum petimus. Sed quum quotidie, imò semper, ut Lucas euangel. ait, oporteat nos orare, per hoc in omnes uitæ annos alimētum rogamus. Rogamus autē, ut hoc beneficium Deo acceptum referamus: nam quamuis multo nostro labore utrunq; panē nobis cōparare nitamur, secundum illud Genesios, In sudore uultus tui uescēris pane tuo: tamē alterum, id est, spirituale gustare, hoc est, Dei intelligentiā habere nequimus, nisi ab ipso imbua-mur: quod testatur Apostolus ad Cor. scribēs, Oculus nō uidit, & auris nō audiuit, & in cor hominis nō ascenderunt quæ præparauit Deus diligētibus se. Nobis autem, etc. Cæterum panis mētio à Christo facta, uidetur esse parabola, qua ille more suo usus sit ad sensum enucleatè explicandum, qui eiusmodi est: Pater, rogamus te qui cælestis es, ut perinde nobis des panem, id est, animi cibum, ut paterfamiliās prouidet alimētum corporis suis filijs: quòd sic Christus in hac sanctissima precatōne non uideatur esse loquutus de pane frumētaceo, id quod pluribus uiris doctis summè pbatur. Ac ita quotidie precari nos oportet

tet, quum quotidie necesse habeamus unum et alterum cibum capeffere, et id in primis diebus festis, qui ea de causa cōstituti sunt, sicut in nostro De rerum inuētoribus opere planē demonstraui, quò eos precibus ac diuinārum literarum studijs daremus, secundum illud tertium præceptum, Sabbata obseruato. Verum quota hominū pars dies festos rectè agit, quū nō aliud fermè tēpus hodie magis detur omnis generis ludis, choreis, amoribus, cōpotationibus, aleis, pactionibus, atque nundinis? Propterea haud dubiè expediret, ut ita tandem prouideretur, quò illi aut castius celebrarentur, aut saltem minuerentur, ut ne lasciuæ iuuentuti tantum amplius spaciij esset, sese contra præceptum Domini damnosis artibus exercēdi, corrumpendive, si malum aliter sanari minus posset.

Et remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris.) Ecce lex illa naturæ omnium regina, quæ iubet, ut ne id alteri facias, quod tibi fieri nō uis: quæ cōplectitur reliqua illa quinque præcepta, Hominē ne occidas, adulterium non committas, Furtum nō feceris, Nil alienū cōcupueris, Ne falsum dixeris testimoniū. Bone Deus, quale de nobis iudicium facere quotidie cogimur? Quot mortales ingentes in singulas horas darent pœnas, si, quod petunt, mature cōsequerentur? Non, inquā, mature cōsequuntur, quia apud Deum semper est pœnitēti ueniæ locus, sed suo tempore, & tamen quum plectuntur, uelut cæci non uident, non animaduertunt, non considerant recentem pœnam esse ueterum scelerum: de quibus iam pridē confessi fuissent, quum sepiissimè dixerint, Remitte nobis debita nostra.

stra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Hinc igitur monemur primum metiri à nobis ueterū iniuriarum memoriam, antequam ita precemur: deinde in posterum tempus abstinere manus ab alterius iniuria, ac ab omnibus malis, quæ ab homine in hominē proficisci possint. O legem equā, quæ nos mutua cōiugat charitate, quæ ut sol in mundo, sic in uita mortaliū cuncta nutrit, auget, fouet bona. Appellamus autem hic debita, commissā nostrā in Deum, sumpta metaphora à creditoribus, qui soleant debitas pecunias illis remittere qui soluēdo nō sunt, rogamusq; ipsum Deum patrē familiās, ut ea nobis sic ignoscat, quemadmodū nos eius familiæ filij, alij alijs iniurias cōdonamus. Proinde Seruator subiicit, Si remisistis hominibus peccata sua, remittet & uobis Pater uester cælestis: si autem non remisistis, nec Pater uester remittet. Ista equidem uera est satisfactio, quæ ex cordis adyto proficiscitur, ueraq; delictorum remissio.

Et ne nos inducas in tentationem.) Oramus præterea ut Deus ne patiat nos sic tētari, quò superemur: nam sexcenti nos circumsident hostes continenter insidias facientes, quorum principes sunt sensus, qui, secundum illud Geneseos, Sensus hominis proni ad malū, nos assidue sollicitant: per oculos enim ad superbiam, ad auariciā, ad libidinē rapimur, quum uidemus alios præ nobis honoribus, alios opibus multò beatissimos esse, formosius uelut puellis oculos adijcimus: per auditionē ad iram prouocamur, quum publico hominum sermone uapulamur: per gustatum ebrietati indulgemus, per tactum, per odoratum, molles ac dissoluti efficimur. Affectus

item nos diuexant, perturbant, discruciant. Malus quoque demon præstò ubiq; est, ut nos ad facinora trahat. Proinde ut ne in hæc mala incidamus, diuina ope nobis opus est: nam uolente Deo tentemur necesse est, quò sic de nobis periculum fiat, dicente Christo apud Ioannem, Nullam haberes in me potestatem, nisi data tibi esset de super. Sanè idcirco tentamur, ut si boni inueniamur, præmium: si mali, pœnam mei itã habeamus. Sed omnis huius clausulæ uis eò pertinet, ut nostræ imbecillitatis semper memores simus, quò si quid bene agamus, illud ipsum Deo acceptum referamus: si quid malè, nobis asignemus, qui ratione nobis diuinitus data abutamur.

Sed libera nos à malo.) Conclusio totius nostri negotij apud Deum est, ut nobis incolumitatẽ præstet, quò in eius tutela acquiescere possimus, ac ita à uitæ animiq; periculis, quæ cõtinenter malorum demonum operatione impendent, ope diuina liberati, tandem salui simus: nã articulus hoc loco positus *ἀντὶ τοῦ πονηροῦ*, personã diaboli significare uidetur, cuius propriũ est tentare.

Amen.) Hebraica uox est Amen, & hoc loco significat fideliter, siue uerè. & sensus est, Vt ista omnia nos si dei pleni tuo iussu Pater orauimus, sic tua freti bonitate certum habemus nostri optati fore compotes. Iam satis cõstat hunc esse modum longè post homines natos perfectissimum precandi, quicquid nobis bono, ac deprecandi quicquid malo futurum est. Plus utique quàm ista à Deo petere ac precari nequimus.

FINIS.

Index